

possibilitatem de assequibilitate talis rei: sicut aliquis circa uxorem defunctam non intendens, nec volens assequi illius fruitionem, utpote impossibile, potest de illa delectari sine ulla conditione, imo cum ardenti libidine. Et damnati sine ulla conditione vellent illam æternam miseriam effugere, et Deum non esse, aut in suis decretis non esse inflexibilem, quod totum est impossibile.

XI. Quod autem possit dari voluntas conditionata inefficax, conditione se tenente ex parte objecti, et non ex parte actus, imo existente actu de facto in ipsa voluntate, constat ex his, quæ ostendimus i tomo, i p. disput. xx et in ii tomo, disp. v. Idque patet quotidianis experientiis: facimus enim multas promissiones, tractatus, proposita per actus de præsentis, quod aliquid sit firmum, et validum, si talis vel talis conditio apponatur, et non alias. Nec illa voluntas est conditionata ex parte actus, si quidem actus ille promittendi, contrahendi, vel tractandi de facto ponitur in voluntate, nec suspenditur ejus existentia, sed executio rei propositæ, et sic est conditionatus ex parte objecti, quod sub conditione ponendum est, non ex parte actus qui de facto elicitur; et de facto placet illa bonitas objecti sub conditione repræsentata et proposita.

XII. Nec video quomodo in hoc possit dissentiri Vazquez, nisi ex æquivocatione non discernendi inter objectum conditionatum quoad assequibilitatem sui, aut solum quoad bonitatem objecti in se. Hæc enim bene potest esse absoluta, licet assecutio, aut executio rei sit sub conditione, et dependenter a multis circumstantiis, quæ non semper de facto ponuntur, sed sub conditione tractantur. Et super totum hoc potest cadere actus de facto omnia illa

attingens, quæ sub conditione se habent, sed de facto attinguntur, et sub aliqua ratione formali de facto continentur. In hoc enim bene vincit ratio facta a patre Vazquez, quod non potest actus ferri in objectum, quod solum sub conditione habeat rationem formalem, sicut non potest visio versari de facto circa coloratum sub conditione quod in re non est tale, eo quod visio solum est notitia intuitiva, quæ non potest versari, nisi circa id quod est præsens in re, non quod est sub conditione tale, quia hoc præsens esse non potest. At vero actus, qui est notitia abstractiva, et potest versari circa rem absentem, aut futuram, etiam versari potest circa rem conditionatam; licet enim in se quoad existentiam, et executionem solum conditionata sit, tamen bonitatem habet de facto apprehensam, et de facto moventem. Ut enim de facto sit objectum voluntatis, illumque moveat, non requiritur quod de facto habeat in se bonitatem in re existentem, cum multi actus versentur circa rem futuram, aut præteritam; sufficit quod habeat bonitatem de facto apprehensam, et cum ordine ad aliquod esse sive possibile, sive conditionatum, sive fictum, eo quod voluntas ducitur apprehensione. Et sic bene stat quod circa objectum in re conditionatum quoad existentiam de facto tamen apprehensum cum bonitate, et cum ordine ad aliquod esse, possit voluntas elicere actum absolutum, et de facto a se productum; sicut etiam circa rem non existentem, nec habentem actu bonitatem existentem in se potest versari actus voluntatis, cui sufficit bonitas apprehensa.

XIII. Si autem inquiras, quomodo accipienda sit doctrina Cajetani de impossibili ab intrinseco, et per se, vel ex suppositione, et per accidens, et quomodo a voluntate possit attingi,

gi, respondetur distinctionem istam esse certam, quia constat aliqua esse impossibilia ex ipsa implicatione terminorum, et ita repugnare ab intrinseco, etiam in ordine ad potentiam absolutam. Alia vero sunt quæ non implicant ex vi terminorum, sed ex aliquo accidenti, aut suppositione superveniente, ut patrem mortuum vivere, non repugnat ex ratione hominis, sed ex suppositione mortis, et illa stante: qua separata non repugnat vivere, et de potentia absoluta ita potest fieri. Et impossibile primi generis ex se, et ex propriis meritis, neque bonitatem aliquam fundat, neque assequibilitatem. Unde ut appetatur debet ab intrinseco vestiri aliqua bonitate, saltem ficta, quæ repræsentata placeat. Impossibile autem secundi generis ex se, et ex meritis objecti bonitatem habet, sed ex accidenti superaddito redditur impossibile, et inassequibile. Quare voluntas, nec primum, nec secundum impossibile cognitum ut tale potest intendere ut assequendum, quia utrobique assequibilitas repugnat, et ut repugnans apprehenditur. Sed quantum ad simplicem volitionem, quæ solum respicit bonitatem rei, et non assequibilitatem, primum impossibile non potest per se, et ex propriis meritis a voluntate amari; sed si illi placet debet esse ex aliquo extrinseco adjuncto et ficto, amatur enim ut bonitas apparens, et ficta. Secundum autem impossibile potest ex propriis meritis, et per se appeti, non superaddendo aliquid extrinsecum, et fictum, sed separando, et præscindendo per intellectum illam suppositionem, ex cujus accidenti redditur impossibile: sicut patrem mortuum possum velle quod vivat separando mortem, et considerando patrem.

XIV. Ad rationem dubitandi a principio respondetur, quod impos-

sibile caret entitate, et bonitate secundum se, et quasi subjective, seu ex parte rei, concedo; apprehensive et objective, seu prout ab intellectu ad instar alicujus boni apprehenditur, aut id quod bonitatis est, præscinditur, nego. Et sic potest appetitum actu absoluto inefficaci quantum ad bonitatem apparentem, et fictam; tum conditionato quoad assecutionem. Et cum instatur, quod objectum conditionatum non est de facto bonum, nec de facto objectum voluntatis, sed solum esset objectum, et esset bonum, si poneretur conditio, respondetur quod objectum conditionatum manet non ens, et non bonum subjective, et prout in re entitative, et quoad esse; tamen objective, et in apprehensione de facto retinet bonitatem ut apprehensam, et ut moventem, et ratione illius potest terminare simplicem volitionem, quia voluntas licet feratur in bonitatem objecti in se, regulatur tamen per apprehensionem tamquam per conditionem requisitam, qua objectum vestitur ut appetatur, licet in re non sit, quia etiam appeti potest bonum apparens. Unde non est extra spheram objecti voluntatis, quia objectum ejus non est solum bonum verum, sed etiam apparens, aut fictum, et quidquid apprehensum potest eam movere, potest et actum ejus terminare. Impossibile autem ex meritis suis non potest movere, bene tamen beneficio intellectus illud apprehendentis ad instar boni, et vestientis ficta, et extrinseca bonitate.

XV. Ad confirmationem respondetur, quod res possibles non possunt amari in statu possibilitatis, distinguo; in statu possibilitatis, ut tollentis omne esse, et ordinem ad esse, concedo; ut considerati sub aliquo ordine ad esse, et ad bonitatem saltem fictam, nego. Itaque quando dicimus res possibles non

amari sub eo statu, loquimur de ipso statu possibilitatis, ut opponitur omni esse, tam futuro, quam præsentī, et præterito; tam vero, quam ficto. Nam si aliquem ordinem induat ad esse, illique adjiciatur etiam ficte, non est dubium quod possunt amari, saltem sub illo respectu, licet Deus, quia nihil fictum amare potest, sicut nec fingere, nullo modo possit illas amare. Sed sensus illius quæstionis est, quod essentiæ rerum sub illo statu, quatenus non habet nisi præcisa prædicata essentialia, neque explicant nisi necessariam

connexionem prædicatorum ante omne esse, vel ordinem ad esse possint esse objectum voluntatis, illisque competat bonitas formaliter, quæ movere possit voluntatem. Hoc est quod negamus creaturis statu puræ possibilitatis. Si vero induant ordinem aliquem ad esse, etiam si ficte, et per intellectum, poterunt appeti sub illa ratione. Et hoc idem dicimus de impossibili, etiam si cognoscatur esse in se impossibile, dummodo fingatur sub aliqua bonitate, et respectu ad esse, etiam fictum.

QUÆSTIO XIV.

DE CONSILIO.

SUMMA LITTERÆ.

Agit D. Thomas de consilio postquam egit de electione, non obstante quod consilium electionem præcedat, ad illamque requiratur, quia prius agendum est de ipsa re, deinde de causis ejus. Consilium autem est causa electionis, quia ad hoc consulimus ut eligamus, et ex consultatione mediorum nascitur electio; ideoque agit de consilio tamquam de electionis causa.

Tria D. Thomas tractat de consilio. Primo, quid sit in primo articulo. Secundo, de qua materia sit, et circa quid versetur articulo. II, III et IV. Denique, de modo quo proceditur in consilio tractat duobus ultimis articulis.

Igitur in primo articulo ostendit D. Thomas, quod consilium formaliter, et directe pertinet ad rationem, licet præsupponat appetitum, quia materia de qua agit consilium sunt res volendæ. In ratione autem importat consilium inquisitionem circa res incertas, et dubias quæ inquisitio in nobis per discursum fit. Terminatur autem consilium in sententia, seu iudicio de eligendis per quod regulatur electio.

In articulo secundo incipit agere de materia consilii. Et ostendit in primis quod consilium non est de fine, quia finis est principium ex quo proceditur ad media: principium autem non cadit sub quæstione, et inquisitione, sed præsupponitur ad inquirendum. Per accidens autem, potest esse consilium de fine, quatenus unus finis ordinatur ad alium.

In articulo tertio ostendit, quod consilium est de his, quæ a nobis agenda sunt, id est, de actibus humanis prout nobis utiles sunt, et ad finem conducunt, sic autem in singulari considerandi sunt, et consequenter prout a nobis egrediuntur. Per ly autem a nobis, etiam intellige, qui ad nos spectant.

In articulo quarto ostendit, nec de omnibus humanis actibus esse consultationem, scilicet de his quæ quæstionem non habent, aut quia de se determinatas habent rationes, ut pleraque in artibus; aut quia parum conducunt, et pro nihilo reputantur, ut minima.

In articulo quinto et sexto tractat de modo quo procedere debet consilium, scilicet, quod resolutorie, et quod determinate, et non in infinitum. Resolutorie procedit consilium, quia procedit ab effectibus in causas, tractat enim de agendis, seu de mediis propter finem. Determinate autem, et non in infinitum procedit, quia procedit a principio quod est finis, in conclusiones, quæ sunt media: finis autem est certus, nec de illo est consilium. Medium autem determinari, et finiri oportet, alias nunquam inciperet operatio. Non tamen repugnat consilium esse infinitum in potentia, propter multa quæ occurrere possunt sine limite.